

singulis annis quinque talenta et quinque solidos denariorum Vribergensium et viginti octo pullos, iure feudali a nobis et ecclesia nostra possessos a laycis ab eo tempore quo non exstat memoria, emerunt et comparaverunt a Bortone layco, filio Bortonis de Vriberc pro sexaginta septem marcis et uno fertone Vribergensis argenti, petentes a nobis diligentia cum exacta, ut proprietatem dictorum mansorum ipsis dare vellemus ordinandi et disponendi de eis in ecclesia nostra vel capitulo Misnensi pro remediis suarum animarum, deum habendo prae oculis, prout eorum esset beneplacitum voluntati. Nos vero considerantes eorum propositum esse pium et laudabile, eorum precibus inclinati dictos septem mansos sitos in villa¹⁾ Cofbach, a dextris ubi de oppido Wilandesdorf intratur ad dictam villam, cum piscationibus, pratis, pascuis, silvis, virgultis, nemoribus, iuribus, iudiciis et cum omni utilitate, quae nunc inest vel in futurum poterit inesse, in proprium damus totius nostri capituli Misnensis accedente consensu praeposito Budesinensi et thesaurario ecclesiae nostrae ante dictis, de ipsis faciendi, ordinandi, disponendi et statuendi quemlibet de sua medietate in ecclesia vel capitulo Misnensi pro remediis suarum animarum, quicquid eis placuerit vel visum fuerit melius expedire, nobis et successoribus nostris in ante dictis mansis nihil iuris in posterum reservantes. Census autem dictorum mansorum dandus est, dimidietas in festo beati Martini cum viginti octo pullis et alia dimidietas in festo beatae Walburgis, hoc est de quolibet manso quindecim solidi bonorum denariorum Vribergensium et quatuor pulli sunt saepedictis dominis aequaliter dandi vel cui assignaverint sine diminutione qualibet persolvendi. Praeterea dominus praepositus et thesaurarius supradicti habebunt aequalem portionem in mansis et bonis superius expressis et pro diviso vel indiviso, prout eis vel quibus dederint aut assignaverint placuerit, possidebunt. Et omne commodum vel incommodum, quod in possessionibus praemissis acciderit vel evenerit in captando vel evitando lucro, sine dolo et fraude, quamdiu pro indiviso possident, aequaliter sustinebunt. Et ne alicui super praedicta emptione et donatione a nobis de consensu capituli nostri ipsis facta dubietas oriatur, sigillorum nostrorum, nostri et capituli Misnensis munimine praesens privilegium duximus²⁾ roborandum. Actum et datum Misnae anno domini M^o.CC^o.LXXXI^o. VI^o. Idus Augusti pontificatus nostri anno quinto decimo.

Nach zwei Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen. Die Siegel des Bischofs und des Capitels hängen bei A. an Fäden von rother und grüner Seide, bei B. an Pergamentstreifen, doch ist das des Capitels hier abgeschnitten.

1) villa fehlt in B. 2) duximus praesens priv. rob. B.

No. 252. 1282. 18. März.

B. Withego leihet der Gattin Friedrichs von Bor Margaretha 5 Mark im Dorf Wysnen, welche dieser von ihm zu Lehen trägt, zu Leibgedinge und bestellt ihren Vater Heinrich von Nossen zum Vormund.

Wytego dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus, ad quorum notitiam pervenerit praesens scriptum, salutem in domino sempiternam. Ne ea quae fiunt in tempore, pariter cum temporis inconstantia evanescant, prudentis est consilium, ut acta digna memoria scripturarum elucidatione sic serventur integra, ut usque ad occursum futuri temporis circa gesta veritatis evidentia pateat incorrupta.